



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1670**

9. Infantes aqua lustr. sanant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10757**

hominum ad ægros humilis aditus, cui nihil simile suis in sectis ob-  
 seruarent: ad hæc dabatur opera ut iidem sodales in occasiones sub-  
 itas in promptu tenerent; modum formamque ritè baptizandi, nam  
 magno numero censerent quibus pronius nihil erat quàm Chri-  
 sto credere, & baptismo tingi; sed tenebantur vinculis pessimæ con-  
 suetudinis, & imbecillæ voluntatis quæ mortis vicinæ validiori metu  
 dissoluta exhibebant illos baptismo idoneos. Optassent complures  
 Christi legem integrè persuasi, ethnice viuere, & mori Christianè:  
 opem rebus afflictis nostro in templo implorabant, referebantque  
 prodigiosis subindè curacionibus; nec omittebant postea debitas bene-  
 ficio gratias, sed iubebant filios ad Christi Saluatoris effigiem orare,  
 illamque accensis facibus & odoro suffitu venerari. Discreuit tamen  
 Nanchini hoc anno 1622. seruos suos ab alienis Deus. Grassans enim  
 Boa pestiferis papulis, pænè omnes necauit Ethnicorum infantes, Chri-  
 stiani suos, aquæ lustralis haustu exiguo seruauerunt. Magnam quidem  
 illuc iacturam fecimus, Chiutaisi Ignatij morte, cui profectò debet  
 quamplurimum & Societatis & Christianismi per Sinarum Regnum  
 fundatio. Ciamicij oppido tractus Nanchinensis piè vitam clausit,  
 quam ab Exercitijs S. Ignatij, ex principiis æternis daxerat innocen-  
 tem: multos huic nobis Deus substituit in magnum fidei splendorem.  
 Vnum cuius maiores armorum gloria nobilitauerat pellendis barbaris  
 extra Sinas, octogenario proximum; & tunc etiã suorum dignitate  
 illustrem; huic Vagnonius ex baptismo, Pauli indidit nomen, Deus de  
 Pauli in Christum amore, & præclaro exemplo partem non minimam,  
 alterum Hiu Ioannem, eius aulæ Cancellarium; & Cham Thomam  
 Doctorem, inter admonitores Regis, Magistratum gerentem, olim  
 Riccio carum, & mente Christianum; tunc ita in omnes à Vagnonio  
 versatam partes ut de vxoribus duabus alteram ad suos remitteret, al-  
 teram sibi honestis nuptiis copularet. Auctoritatem Christiana legis  
 huius vici claritas in tantum extulit, ut præter plurimos omnis Ordinis  
 Literatos tractura fuerit tres eius Collegas, omnesque Taolios  
 qui supremus est eius aulæ Senatus, nisi polygamos inolita retinuis-  
 set velania, quidam tamen ex ijs lustrandos baptismo filios dedere; con-  
 uulere nonnulli ad templi fabricam. Christianismo fauerant vniuersi.  
 Hæc dum secundis aguntur statibus inter nobiles Nanchinen-  
 ses; auxit pariter in luce populi, sacrae fidei nomen confidentia stoli-  
 da Ciacumorum, (constat ea secta ex idololatriis) qui aut indignati  
 Deos suos comburi aut verecundati eorum contemptum, ausi sunt cer-  
 tamine publico cum lege Christiana idololatriam committere, serua-  
 tum huc vsque ab aduenis ad vitandos tumultus silentium, interpreta-  
 ti dissidentiam, & timiditatem; nunc sua prouocatione, ius defensionis  
 cum nobis imponerent. Fuit pleno utrimque æmularum auditorio  
 disputandum. Producere illi Theologam suorum turbam: nostri fra-  
 trem nostram Sinensem solum, sed pridem exercitum ad fallacias co-

9.  
 Infantes  
 aqua lustr.  
 sanant.

10.  
 Chiutaisi  
 Ign. mors  
 pia.

11.  
 Frater ex  
 nostris The-  
 ologos idol.  
 expugnat.